



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 6. Ferdinandi castra uno lapide ab urbe Granatensi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

confugientibus, ibidem brevi alimenta Sæcul XV.  
 absumerentur, sicque citius urbs deditio- A C 1491.  
 nem facere compelleretur.

Non multo post tempore ipse Ferdi-  
 nandus insecutus, cum exercitu quadra-  
 ginta ferme peditum, & decem millium  
 Equitum ad ipsius Granatæ obsidionem  
 feliciter castra admovit. Rex, quamvis  
 & ipse imperii, bellicque administrandi  
 peritia clarissimus esset, nihilominus ex-  
 peditionis hujus curas partiebatur cum  
 omnibus regni sui Proceribus, nec non  
 cum plurimis belli Ducibus longa militia  
 exercitatissimis, quorum virtus priorum  
 bellorum usu longe exploratissima erat.  
 Hos inter haud infimus erat celeberrimus  
 Consalvus Fernandez de Corduba,  
 qui ob præclara facinora dudum gloriosum  
*magni Ducis* cognomentum emeruit,  
 atque in nupero adversus Lusitanos bello  
 singulari fortitudine inclaruit. Hic  
 Patrem nactus erat Petrum Fernandez  
 de Corduba Aguiliaræ, atque Elleberis  
 de Herrera Toparcham.

§. VI.

*Ferdinandi castra uno lapide ab urbe  
 Granatensi.*

Villenzæ Marchio, vastatis circum Grana- Marian. loc.  
 tam agris, acceptoque mandato, ag- cit.  
 men suum ad reliquum exercitus robur ad-  
*Hist. Eccles. Tom. XXX, Ff du-*



Sæcul. XV.  
A. C. 1491.

duxit. Cunctis igitur copiis in unum collectis obsidioni datum est initium, ac primo feroces, viasque excavatas unacum Tablatae ponte occupant, ut inde exercitus in plana Regionis expeditius procurrare posset; postmodum castra metantur ab urbe uno lapide distita, firmo statuentes animo, se nunquam, nisi prius expugnata Granata Metropoli, inde recessuros; igitur præcipiti opera munimenta erigunt, vixque laborem absolvunt, cum Isabella Castellæ Regina unacum regia sobole ad castra perveniret, certum, deliberatumque sibi habens, nullatenus ex illis, nisi capta urbe recedere. Referunt Historicorum nonnulli, Reginam ad castra convolasse, ut Ferdinandi Regis consilia dissiparet, qui quidem Granatæ Regnum Castellano imperio adjungi consenserat, tanta vero repugnantia, ut suspicandi ansam daret, perinde ac si illud pro jure suo, cum totius exercitus sui arbiter esset, sibi soli vindicare moliretur, quinimo non desunt, qui affirmant, quod Ferdinandus id agere conatus sit, imo re ipsa executus fuisset, nisi Consalvus omnia Regis consilia evertisset.

## §. VII.

*Obsidionis castra in urbem mutata.*

Raynald hoc  
ann. n. 3. § 4. Prima, quæ Reginæ adventus diem sequebatur, nocte flamma Isabellæ tentorium